DE
ICTO MVSICO

DISSERIT

ET

GENEROSIS ATQVE NOBILISSIMIS

IVRIVM CVLTORIBVS

DOMINIS COMMILITONIBVS SVIS

COLLEGIA SVA

PER

SEMESTRE AESTIVVM

HABENDA

INTIMAT



ABRAHAMVS KAESTNERVS

IVRIVM DOCTOR ET PRACTICVS.

LIPSIAE,

LITTERIS GABRIELIS TROGII cIɔ Iɔ CC XL.

§. 1.

DE ICTO oeconomo paucis ab hinc septimanis, in disputatione sub meo praesidio actum fuit, circa quam materiam inter eruditos, praeprimis quoad oeconomiam priuatam, neminem, cui sanum sinciput et occiput, dissentientem spero. Multa vero sunt, quae in ICTO ab eque erudito requiruntur, vt ea propter vulgus saepe dicat: ein Gelehrter muß alles wissen. Placet igitur hac occasione *an et quatenus eruditus, et in specie ICtus, musicam, artem omnino incomparabilem, callere debeat?* inquirere.

§. 2.

Scio equidem quod haec ex multis, nobilitate decora Mathematicae pars, in contemtu non solum habeatur, verum etiam vituperatione digna reputetur. Sic enim exclamantes audio: Musica interdum dulcedine sua iuuenum animos enerues reddit; Musica corruptos efficit mores, mollitiemque in pectora inducit; Musica virorum effeminare mentes non desistit, lasciuiamque laetis aduehit lenociniis. Non ignoro quod, vt PLVTARCHVS refert, Philippus ALEXANDRVM filium, qui dulciter modulabatur reprehensione male egerit. Indignum etiam libero homine putauit cantum Musicaeque harmoniam ALCIBIADES. Romani illam in contemtu habuerunt. Prostant historiarum monimenta, ex *Medorum Persarumque* regibus, illos inter Parasitorum Scurrarumque numerum esse adductos, qui musicam ex animo sequerentur. GREGORIUS Pontifex cantandi officium diaconis prohibuit, *v. c. in sancta Romana, 2 dist. 92.* ibi: *vt in hac sede sancti altaris ministri cantare non debeant.* Ritum, quo ecclesiae ministri coram altari precationes textumque epistolarum et euangeliorum canunt, improbat I. S. STRYK, *differt.* de iure Sabbathi, *cap. IV. n. 134 seq. p. m. 128.* cui tamen ab aliis, in specie etiam *a* SELIGMANNO disput. *de iis, quae circa receptam de Sabbatho doctrinam a non nemine nuper in dubium vocata sunt. Lips. 1705. c. 2. §. 6.* sufficienter responsum fuit. Organa pneumatica aliaque instrumenta musica in ecclesiis *Muscowitarum* suo tempore penitus non tolerata esse, testis est OLEARIVS *in itinerario, Lib. III. cap. 27 p. m. 302,* Denique omnem cantum ex ecclesiis eliminandum putat noua *Tremulorum,* (seu, *vt Anglice vocantur* Quackers) colluuies. Plures artis diuinae osores facili adduci potuissent negotio, manus vero, vt in opinionibus, quae fundamento carent, recensendis, sim prolixior, officium suum denegat.

§. 3.

Sanius de musica consilium maioribus fuit, qui in recta administrata Republica, vt adolescentes *literas, artem gymnasticam,* MVSICAM *et pingendi facultatem* diligenter addiscerent, voluerunt, vti pluribus ex ARISTOTELE ostendit IOANN. CASVS *in Sphaera ciuitatis, Lib. VIII. c. 3. p. m. 479. seqq.* Tota enim vita humana in *otium* et *negotium* diuiditur. Otium vocamus *cessationem laborum*, qualis est in vita practica et actiua; vel *intermissionem studiorum ac meditationum*, qualis est in vita theoretica et speculatiua. Opus enim est non solum vt qui laborant, ab opere et negotio aliquando cessent; Sed etiam vt, qui student et orant, a contemplatione nonnunquam quiescant et ferientur. Nam dum sumus mortales, non solum laboribus vires corporis, sed etiam perpetuis medidationibus vires mentis fractae et exhaustae sunt, si honesto otio non recreentur. Musica autem fessi corporis membra reficit, spiritus attonitos viuaciores reddit, vires sepultas excitat, ipsum animum deiectum mirifice erigit, et confirmat.

§. 4.

Non vero, dum musicam extollo, subintellectam cupio mollem et effeminatam illam symphoniam, qua vagabundi tibicines lyris tibiisque suis ad illecebras vtuntur, et quod noctambulis (*vt hac voce vtar*) in vsu est potissimum, *Dianam suam* musica

nocturna

nocturna (mit einem Ständgen) exhilarantibus. Circa quam musicam iis in quarum gratiam fieri solet, monitum HORATII *Lib. III. Ode 7.* obseruandum est:

Prima nocte domum claude, neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae,
Et te saepe vocanti
Duram, difficilis mane.

Sed grauem et diuinam eam, quae cum anima humana proportionem habet, quaeque nos a terra ad coelum, a vanitate ad virtutem, ab inani strepitu mortalium, ad gloriosum chorum coelestium spirituum, ab hoc indiuisibili puncto temporis ad infinitam circumferentiam Numinis possit allicere, possit auocare, *conf.* BOETIVS *de musica, lib. I. c. 1.* et CASVM *c. l.* vbi, musicam *ad* otium, *ad* negotium, *ad* pacem, *ad* bellum perutilem esse multis declarat.

§. 5.

Quis inter eruditos ignorat musicam in populo Israëlitico non minimam cultus ecclesiastici partem effecisse? Testantur id sacrae Pandectae passim. *v. II.* SAMVEL. VI. *v. 4. 5.* PARAL. I. *cap.* XXVI. *Lib. II. c.* V. *v. 12. et 13. cap.* XXIX. *v. 25. 26. c.* XXX. *v. 21. c.* XXXV. *v. 15 Psal. 98. v. 6 et 7. Ps. 108. v. 2 Ps. 149. v. 3. Ps. 150* Hanc Hebraeorum musicam ATHANASIVS KIRCHERVS *in Musurgia vniuersali T. 1.* copiose quidem delineat, cui tamen communiter anteponunt SAL. *van* TIL, von der Dicht- Sing- und Spiel-Kunst der alten Hebräer, *lib. III. c. 0. p. 428.* et e nostris *D.* SONTAG. *de tit. Psalm. ad Dom. XII. trinit. p. 590* vbi ad alphabeti seriem singula recenset. *v. omn. Dn. D.* IO. GOTTLOB. CARPZ. *introduct. ad libros canonicos bibliorum veteris testamenti omnes, Part.* II. *c. III. §. 8. p. m. 116.* Nec aliud de hodierna musica ecclesiastica dicendum, vt propterea BRVNNEM. *in I. E. lib. I. c. VI. membr. 8. §. 1.* ingenue fateatur: *Non dubito dicere, musicam ecclesiasticam esse integralem partem cultus ecclesiastici publici* In eo tamen difficulter cum BRVNNEMANNO consentio, quando *cit. loc. §. 4.* asserit: *inepta est musica siue Organica, siue alia instrumentalis, nisi vox humana concinnat, vt sciat ecclesia quid canatur, et possit* Amen *dicere.* Is enim qui vim et efficaciam musicae instrumentalis intelligit, qui tonos distinguere valet, qui in harmonia artificiali non est hospes, certe singularem commotionem internam sensurus est, licet vox humana nulla audiatur. Si obiicis: *paucissimis hoc datum esse, et tamen in ecclesia id esse agendum, vt omnes aedificentur;* Respondeo: Etiam sola musica instrumentali in animis hominum insignes pietatis affectus, effectusque mirabiles virtutis efficiuntur. Praeambulis enim istis, quae *vel* solo organo pneumatico, *vel* etiam aliis instrumentis instituuntur, animus auditorum praeparatur, vt eo attentior ad ea quae sequuntur, reddatur. Quid, quod hodie non desint, qui vltra terminos vulgaris musicae progressi, in eo praecipuam ponunt operam vt concentus harmonicus, tam organo pneumatico quam instrumentis aliis, eum affectum animi, quem vox canentis exprimit, apte imitetur, vel etiam solus producere valeat. Non incongrue huc ex CICERON. *Academ. quaest. lib. IV.* refertur: *Quam multa*, inquit, *quae nos fugiunt, in cantu exaudiunt, in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis* Antiopam *esse aiunt, aut* Andromacham, *cum id nos ne suspicemur quidem.* Ex quibus satis liquet, concentum musicum, qui cantum ipsum praecedere solet, frustra non institui, nec eiusmodi praeambula iure inepta dici posse. Imo raro, quid canitur, nec ab eruditis, multi minus a reliquis distincte intelligitur, nisi aliquando textus vel typis excusus, vel scriptus ad manus sit, propterea tamen musica ecclesiastica omittenda non erit. Egregium plane instrumentalis musicae, sine voce humana, effectum perhibet sacer Codex II. *Reg. III. v. 15.* Denique assertum BRVNNE-

MANN

MANNI vix, ac ne vix quidem cum Psalmo 150. conciliari potest. Vt ea propter mihi persuasum habeam firmiter, solam instrumentalem musicam circa cultum diuinum effectu suo non destitui.

§. 6.

Non vacat plura de musica in genere praemittere, multo minus instituti ratio nec postulat nec patitur vt de musicae origine, definitione, de variis huius diuisionibus, latius agam. Hinc etiam quid per *Notas, figuras, Lineas, Claues, Consonantias, Dissonantias, Tonos, Semitonos, Tactum, Fugam, Pausam, Scalam, Punctum*, Interuallum &c. intelligatur, itemque quid sit genus Diatonicum, Chromaticum, Enharmonicum &c. quid sit ex modis vel tonis *Dorius, Hypodorius, Phrygius, Hypophrygius &c.* et infinita alia sicco praetereo pede, cum alias integrum tractatum scribere necesse haberem. Cui vero volupe est singula haec explicata peruestigare, praeter KIRCHERVM *§. praec. cit.* euoluat RISICATVM *de statu hominum in Republica, lib II. p. m. 725* vbi multa de musica et musicorum statu deprehendet; *conf.* GEORG ANDR. FABRIC. *Thesaur. Philosoph.* sub capite: de musica, *p. m. 270. seqq.* ROBERT FLVDD. *Vtriusque cosmi historia lib. VI.* de arithmetica musica, *p. m 130. seq* Eiusd. *Tr. de templo Musicae,* in quo musica vniuersalis tanquam in speculo conspicitur, in septem partes diuisa, *ibid. p 159. seqq.* nec non BONNET *Histoire de la musique et de ses effets, depuis son origine iusqu'a present. Paris 1715.*

§. 7.

Ad vsum itaque quem, *musica noster amor*, eruditis praestat, in specie transgredior. Hic autem, (*praeter ea quae §§. 4 et 5 sunt dicta*) multus non sum in commendanda musica, quoad scholas triuiales aliaque Gymnasia. Res ipsa loquitur, in iis solo vsu musicae infinitis pauperrimis succurri. Non immerito *de musica* dictum PLATONIS, Pol. 3. *et* 7. huc refero: *mihi* scribit, *credite patres, nulla ars excellentior aut diuinior est, qua liberi vestri in teneris annis instructi ad DEum et pietatem pertrahantur. Conf* Ordnung beyder *Vniuersitaeten* zu Leipzig und Wittenberg, von denen *Stipendiaten, cap. 4 vers:* und nachdem die *Musica.* Saltim hoc loco de illis, qui ex superioribus facultatibus ad officia publica iam promoti sunt, paucis dicam. Nomino primo loco *Theologos.* Hi magni facere solent debentque musicam. PRAECENTOR dignissimus erit ipse LVTHERVS, qui in colloquiis mensalibus *cap 37 rubr.* von der Musica, *p. m 701 seq.* haec profert: Wer die Music verachtet, wie denn alle Schwärmer thun, mit dem bin ich nicht zufrieden. Denn die Music ist eine Gabe und Geschencke GOttes, und nicht eines Menschen. So vertreibet sie auch den Teuffel, und machet die Leute frölich. Man vergisset darbey alles Zorns, Unkeuschheit, Hoffarth und andrer Laster. Ich gebe nach der *Theologie* der Music den nechsten *locum* und höchste Ehre, und man siehet wie David und alle Heiligen ihre gottselige Gedancken in Versse, Reim und Gesang angebracht habe. *Conf. Programma meum:* De voluptatum artificibus, *n. 9.* LVTHERO, non sine ratione iungi poterit ARNDT im Christenthume, *l. II. c. 41.* quibus Duumviris, testibus omni exceptione maioribus, musicam apud Theologos laudem mereri, fides habenda erit. Nec enim inter purioris Euangelicae doctrinae theologos, quod ad *Psalm.* VIII. scribit CALVINVS adplausum vnquam inuenit. „*Quantum*, inquit, ad *tympanum et cytharam et nablium attinet, diximus alibi, et* „*postea dicendum erit. Leuitas*, pergit, *non abs re musicis instrumentis vsos fuisse sub* „*lege: Quia tenerum adhuc et pueris similem populum DEus talibus rudimentis docere* „*voluit vsque ad Christi aduentum. Nunc vbi Euangelii claritas, discussis vmbris* „*legalibus, cultum DEi magis simplicem nobis commendat, stulte ac perperam imitaremur, quod propheta non nisi aetati suae praecepit, et simias esse, qui hoc ad se transferunt,*

„ferunt. Cui paucis quidem, debito tamen modo respondit REINKING *in Polit. Bibl lib. I ax. 49. p. m. 92. seq conf.* GLAVDER *in praefat. Psalmodiae* nou. cent. & WEBER *in Hymnologia sacra, p. 35.* Mengering *in informatorio conscientiae euangelico*, feria visitationis Mariae, *P. II. qu. 1. - 7. p. m. 628. seqq.* SPERLINGII *Petrus Scrupulosus, P. I. p. 14. P. II. p. m. 40.*

§. 8.

Vtilis vero, imo necessaria videtur musica cuilibet verbi diuini ministro. Si enim sermones sacri ex suggestu sacro habendi, et orator musicam non didicerit, quo per tonos musicos consuetaque interualla vocem moderare ac temperare queat, piissimae certe meditationes auditorum affectum vix pro dimidia parte mouebunt somnumque potius quam attentionem apud plures causabunt. Similis, si non maior defectus circa musicam sese exerit, vbi in vsu est, vt epistolae et Euangelia aliaque coram Altari canantur. Sane clericus hic pretium non contemnendum daret, si *vt*, *re*, *mi*, *fa*, *sol*, *la*, vel sic dictam scalam, cum suis interuallis practicare possit. Et si id tantummodo intelligeret, mitius saepe de musica ecclesiastica iudicaretur. Vt nil dicam musicae ignorantiam scripturarum intellectum impedire, vti ex AVGVSTINI *lib. II. de doctr. Christ. c. 16. refert* CASVS *cit. lib. VIII. cap. 3. p. m. 482.*

§. 9.

De vsu et effectu musices in arte salutari permulta sine vllo labore adferri possent. Ne vero falcem in alienam plane messem immittere videar, medicinae cultores, ad RISICATVM *§. 5. citat.* in specie autem ad IO. WILHELMI ALBRECHTI *tract. physic.* DE EFFECTIBVS MVSICES IN CORPVS ANIMATVM, qui *Lipsiae 1734. in 8.* prodiit, ablegatos volui, qui ultimus, *§ 253. seqq.* incredibilia fere, *de vi musices in animos* exempla adfert.

§. 10.

Restat ICTVS Musicus. Hunc voco hominem qui praeter solidam iuris scientiam, musices etiam fundamenta, quatenus *partim* ad vsum cum aliis communem, *partim* ad proprium conducunt, sibi nota reddidit. Eiusmodi ICTVM fuisse HVGOLINVM, elogium ipsi a doctore Italo scriptum testatur, quod suis reliquiis MSrorum inseruit *ill.* de LVDEWIG, *Tom. V. lib. II. n. 1. p. m. 274. seqq.* Vsus quem ICTVS Musicus cum reliquis eruditis communem habet in variis conspicitur. *Scil.* 1) cantilenae sacrae *vel* domi, *vel* in ecclesiis ab ipso canendae veniunt, tonum vero musicum ignorans, dici vix potest, quam molestus, quam grauis nobis euadat eiusmodi cantor, qui neque organo pneumatico neque cantu aliorum, vt vocem suam aliis conformet, cogi potest. Noui hic loci ICTOS non infimi subsellii, noui alios eruditos (*de plebe enim non est quod* dicam) qui non solummodo vicinis in ecclesiis (*id quod saepe mihi contigit*) sed toti coetui valde taediosi existunt. Non enim tantummodo cum aliis canentibus tonum musicum simpliciter non edunt, sed reliquis (*per tactum integrum*) silentibus, miserrime vocem suam producunt, hocque ipso aliis vere stomachum mouent; vix enim tibi persuadebis vocem, quam intelligis, esse humanam.

§. 11.

Si porro 2) eiusmodi erudito publice verba facere contingat, facile deprehendes hic etiam aquam haerere, si musicam, in eaque sonum grauem et acutum non intelligat. Non enim oratoris, sed preces cum gemitu effundentis vocem percipies, vt auditorio molestum sit per horulae quadrantem aures praebere patientes. 3) ICTVS communem cum reliquis musices vsum habet, si eiusmodi instrumentum musicum tractare possit, vbi motus corporis simul requiritur. Vita enim sedentaria eruditis maxime nociua; Vsu itaque eiusmodi instrumenti motum pedum, brachiorum

 corporis-

corporisque requirentis, ſanitati conſeruandae ſuccurri poteſt. Obſeruabis enim in vita communi muſicos *plerumque* prae reliquis ſanitate frui. Refero huc 4) quod muſica tam *Gregoriana* (i. e. choralis) quam *Ambroſiana* (i. e. figuralis) interiora animi penetret, affectus moueat, contemplationem promoueat, triſti iam pellat, ſpiritus animales exhilaret, ingenii acumen erigat, ſicque ICTO perutilis. v. IO. ADAM WEBER. *diſcurſ. curioſ. et fructuoſ. ad praecipues totius literaturae humanae ſcientias illuſtrandas, diſcurſu* XXV. de natura muſicae. *p. m. 372. ſeqq.*

§. 12.

Plures muſices effectus *ICtis* cum reliquis communes adducere ſuperſedeo. Tranſeo enim ad ICtum, qui officio quo fungitur, ſine muſicae intellectu ſufficienter ſatisfacere nequit. Hic enim, cum ſit legum peritus 1) prae reliquis ſcire debet; ante leges ſcriptas *per cantica fuiſſe regulas vinculi memoriae mandatas*. Id quod ſummus ARISTOTELES ſuo tempore, *ſect.* XIX. *c.* 28 ſequentem in modum exprimit: Διὰ τί νόμοι καλοῦνται οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα ᾖδον τοὺς νόμους ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται ὥσπερ ἐν Ἀγαθύρσοις ἔτι εἰώθασι. καὶ τῶν ὑστέρων οὖν ᾠδῶν τὰς πρώτας, τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν ὅπερ τὰς πρώτας. Quod a THEODORO GAZA ſic vertitur: *Cur leges pleraeque cantilenae appellentur? An quod homines prius quam literas ſcirent, leges cantabant? ne eas obliuioni mandarent; quod etiam noſtra aetate Agathyrſis in more eſt. Ergo primas quoque poſteriorum cantilenarum eodem appellarunt nomine, quo omnes ſuperiores vocabantur. Conf.* CHRIST. LVDOVICI CRELLII, hodie *Reg. Pol. Conſil. Aulic.* et *Prof. Publ. in Academ. Viteb.* Programmat *De primitiis legum poëticis, antiquiſſimo genere carminum.* Viteb. *1725.*

§. 13.

ARISTOTELI conſentit CICERO *de legibus*, aſſerens: *Leges antiquo tempore cantu exponi ſolitas, vt faciliori poſſent negotio memoriae demandari.* Pertinet 2) ad ICti Muſici notitiam perfectiorem, vt ſciat, ante ſeculum quintum, veſtigium legum Germanicarum ſcriptarum non extare, et quae poſtea ſecutae ſunt maximam partem conſuetudines repetiiſſe. Et antiquitus *leges ſcriptas canticis fuiſſe comprehenſas.* Quo modo ab vna generatione ad aliam, et ſic ad poſteros ſuos, leges a veteribus translatae ſunt. Id quod adhuc hodie a multis exteris populis fieri aſſolet, de quo itineraria nobis fidem faciunt. Non ignoret 3) *ICtus* muſicus, quod propterea et hodienum ſinguli verſiculi cantionum dicantur *leges*, Geſetze. Hinc longam cantilenam vocamus ein Lied so viel Geſetze hat. *Conf.* THOMASII *Diſſertatio iur. publici*: Morum cum iure ſcripto contentio. *§. 8. 9. et 10.* Halae 1701. habita.

§. 14.

Fingas 4) tibi caſum, in oppido quodam receptum eſſe, vt Poligraphi et Organici officia ſint coniuncta, quia reditus vnius officii ad ſuſtentationem ſufficientes non ſunt. Subiectum igitur quod tale ambit officium, licet iurium ſit peritiſſimum, incapax tamen cenſetur, niſi ea parte muſices, quam ſparta vacans requirit, ſit inſtructum. Noui ipſe eiusmodi oppida, *vbi* ſenator et Organicus, *vbi* Poligraphus et Organicus, vnam eandemque perſonam ſuſtinent, vt ea propter de caſus exiſtentia dubitandum non ſit.

§. 15.

Quid ſi 5) conſuli ciuitatis aliisque ex ſenatu ſcholarum inſpectio, vti communiter fieri conſueuit, committatur? Sane inſpectores non tantum literarum, humaniorum quas vocant, ſed etiam muſicae gnari eſſe debent, alias examinibus viſitationibusque ſcholarum cum effectu intereſſe nequeunt. Recenſebo hac occaſione 6) caſum huc pertinentem, lectori (*vt ſpero*) non iniucundum. Conſul cuiusdam ciuitatis et

ſimul

simul primarius Scholarcha, iurisque scientia haud vulgari praeditus, choro musico, cui ipse iuuenis intereram, stipendium annuum exsoluere debebat. Nescio vero qua ratione motus, ipse aliquando cum chori musici praefecto, musices examen instituebat, cumque interrogabat: *quot essent literae musicales radicales*, seu *toni musici?* HIC congrue et in continenti respondebat: *septem*. Ad quod ILLE: falsum est. Sunt quatuor toni, *Discantus*, *Altus*, *Tenor* et *Bassus*. Pergebat autem: *Quotuplex est musica?* HIC: variis diuiditur modis. Potissima illa censetur distinctio, quod sit vel *Gregoriana* vel *Ambrosiana*. (*v.* § *11.*) ILLE: inepta est haec responsio. Codicem quidem *Gregorianum* scimus, nullam vero musicam *Gregorianam*. Vlterius quaerebat: vnde vestrum *vt, re, mi, fa, sol, la*, originem habet? HIC: Est communis musicorum opinio, translatum esse ex *hymno ecclesiastico de S. Ioanne*, qui est huius tenoris:

VT *queant laxis* RE*sonnare fibris.*
MIra *gestorum* FAmuli *tuorum*,
SOL*ue pollutum* LA*bii* reatum,
Sancte Ioannes.

et auctorem habere GVIDONEM ARETINVM peritia musicae clarissimum, qui sub HENRICO III. vixit, creditur. ILLE, ira commotus, reponebat: Haec tua deductio Pontificiae religionis sapit principia, ideo plane reiicienda; Interim quaerendo pergebat: *Quomodo cantus diuiditur?* HIC: in durum et mollem. Recte responsio haec se habet, cum grauitate *Examinator* regerebat, nam *durum* vocamus, qui a masculis, *mollem* vero, qui a feminis instituitur. Multas alias huius farinae proponebat quaestiones, et tandem nos, quibus risum tenere difficillimum erat, dimittebat, dicendo: *Videtis iuuenes, in arte vestra me non esse hospitem, sum consul, sum etiam musicae peritus.* Caueat igitur sibi quilibet *ICtus*, discursum de musica instituens, *ne vltra crepidam iudicet*, et simile fatum experiatur.

§ 16.

Necessaria 6) est *ICto* musicae scientia in erectione organi pneumatici, si *v. g.* vt Patronus negotium dirigere debeat, ne etiam hic ignorantiam suam, *si tacere nesciat*) prodat. Paucis ab hinc annis in vicina ciuitate consuli regenti ab organico proponebatur: er welle gerne in die von neuen zuerbauende Orgel ein Principal von 16. Fuß haben. Consul, qui mensuram musicalem intuitu pedum, omnino ignorabat, scientiam tamen affectabat, organicum tali responso dimittebat, er habe die Sache schon überleget, es könne über neun Fuß nicht verstattet werden, die Höhe der Kirche liesse es auch nicht anders zu, quo responso autem orgnico reliquisque praesentibus maximum cachinnum mouebat. Finge 7) Organicum, 8) Cantorem, 9) musicum ciuitatis ordinarium, ein Stadt-Pfeiffer. Kunst-Geiger, rc. 10) Ludi moderatorem in pagis, vbi iuris peritus, administrator iustitiae, der Gerichtshalter, concurrit &c esse eligendum; Proponas tibi casum: Principem ministro cuidam rei musicae curam committere, Wenn die Aufsicht über die Capelle, bey denen Opern über die *Orchester* rc. anbefohlen wird, vti haud raro fieri assolet. Nonne vbique *ICtus* necessario prima musices fundamenta intelligere debet, si officio suo rite fungi velit? Si vero his destituatur pro habilibus ignorantes saepe commendantur atque obtruduntur, quibus nunc per *Genitiuum* nunc per *Datiuum* ianua aperitur.

§. 17.

Non deessent, quae circa musices artem, singulari DEi beneficio nobis concessam, adhuc adduci potuissent, huius enim scientia latissime patet; Et iuris interpres, musices ignarus, statim in explicatione §. 2. *Instit. proëm.* haesitabit, vbi *Imperator* in verbis: *in luculentam ereximus consonantiam*, ad scholam musicorum nos ablegat

Quia

Quia vero vt filum abrumpam, chartae angustia me monet, finem impono, et *ICto Musico* versus, qui sequuntur commendo:

Si lereo promit concentus Musica plausu
Tristia in harmonico demulcens corpora cantu.
In plures transit species, elementa, figuras:
Instrumenta, toni, claues, proportio, pectus
Concordi adiciunt numero curasque fugabunt.

PLERAQVE PRVDENTER SERVARI IN IVRE NECESSE.

Cum vero, teste quotidiana obseruantia, etiam quoad studium musicum, *inuita Mineruа*, omnis conatus sit irritus, et multi osores inueniantur, qui inconditum pecoris *Arcadici* clamorem grassumque equorum hinnitum dulcissimis ac elegantissimis Musicorum cantionibus praeferre non erubescunt, quale quid de ATHIA *Scytharum Rege* tradit PLVTARCHVS, alicubi; Hinc illi adhuc, qui imperitiam suam confiteri tenentur, monendi erunt, ne de musica sinistre iudicent; Ne abusum cum vsu confundant; Ne statim, vbi musicam ecclesiasticam audiunt; theatralem esse praecipitanter iudicent, sed ad verba sensumque textus animum applicent, quoniam idoneus compositor singulis verbis, arte sua, pondus addere affectumque maximum, instar oratoris, exprimere solet. Et, si excessus deprehendatur, id quod, sicut in omnibus, diuinis quoque rebus, sic etiam circa musicam, fieri posse facile largior, non arti, sed hominis vitio adscribi debet. musici enim cum omnibus id commune habent, quod errare possint. Vnusquisque igitur Christianorum in eo totus sit, *vt* erigatur *harmonia* christiana, (*vt, stilo musicorum*) *Dissonantes* corrigantur, *Consonantes* autem restituantur; *Vt* ratione inimicitiae vbique *Pausa generalis*, intuitu amicitiae vero semper *Figura maxima* et *Longa*, nunquam *Breuis*, multo minus *Semifusa* obseruetur; *Vt* tristia quae per *Tremulantem* annunciantur, *Fuga* licita atque permissa auertantur; *Vt cantus durus* et *Lamentabilis* iucundum habeat Finale. Meum hoc loco esto: *Cantabo Domino DEo meo*, quamdiu - - - - - *Spiritus hos reget artus.*

§. 18.

Superest vt breuissimis *Generosis atque Nobilissimis Dominis Commilitonibus*, indicem adhuc collegia, quae per semestre aestiuum, *adsistente Diuino Numine* habiturus sum, quae sunt sequentia.

I) ELABORATORIO - PRACTICVM, *diebus* ☽. ♂. ♃. et ♀, continuandum, in quo singula membra *proprio Marte* scripta, pro indole processus concipiunt, meaeque reuisioni committunt, *inchoabo*, *Hora* VII - VIII. *matut.*

II) PANDECTALE, in LVDOVICI DOCTRINAM PANDECTARVM, de nouo exordiar. *Hora* IIX - IX.

III) INSTITVTIONALE in ipsum Institutionum Imperialium textum, semper tamen adhibita *Synopsi Menckeniana*, incipiam. *Hora* X - XI.

IV) STRYKII Examen IVRIS FEVDALIS, explicabo. *Hora* II - III.

V) IVS CAMBIALE ductu Ordinat. cambialis Lipsiensis, tradam. *Hora* III - IV.

VI) PRAEPARATORIO PRACTICVM, iuxta delineationem processus, abs me, editam, praelegam, diebus ☿ et ♄. *Hora* IX - X.

VII) REPETITIONI atque DVBIORVM RESOLVTIONIBVS die ♄ EXERCITIO DISPVTATORIO autem die ☿. more huc vsque obseruato, vacabo. *Hora* XI. - XII.

Singula praedicta collegia *futuro* XXIII. *Maii*, initium sument, et *DEo* vitam atque vires largiente, *solis Pandectis exceptis*, per semestre aestiuum absolui debent. Dabam Lipsiae *e Musaeo*, Dominica *Iubilate*. A. R. S. cIↄ Iↄ C C XXXX.